



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. I. Conclusio negativa statuitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

Trinitatis personam, potuisse, de absoluta Dei potentia, cadere sub merito, etiam de condigno. Nam potuit de potentia absoluta humanitas prius tempore produci, & Personæ Patris uniti, sicque producta & unita operari ex intentione merendi unionem ejusdem humanitatis ad secundam personam Trinitatis: At in opere sic elicit, & ad præmium ordinato, sufficiens reperiretur condignitas respectu unionis ejusdem humanitatis ad Verbum, cum esset infiniti valoris ex infinita dignitate personæ Patris operantis ut quod: Ergo sumpta Incarnatio pro unione humanitatis ad secundam Trinitatis personam, potuit de potentia absoluta cadere sub merito condigno operum antecedentium.

ARTICVLVS III.

An Christus per opera subsequencia Incarnationem, eam mereri potuerit?

41. **A**ffirmant Suarez hic disp. 10. sect. 4. ubi distinguit inter intentionem seu prædestinationem Incarnationis, & ejus executionem, & ait Incarnationem, prout est in æterna Dei prædestinatione, non potuisse cadere sub meritum Christi, quia ante prædestinationem quæ fuit primus actus, & causa Incarnationis, non potuit præcedere neque prævideri à Deo aliqua actio Christi, cujus intuitu decerneretur Incarnatio: at ut executionem potuisse cadere sub Christi meritum, quia ante executionem ipsius Incarnationis, jam prævidebantur futura Christi merita, sicut & ipse Christus, ex vi illius primi decreti quo per modum intentionis Deus Incarnationem voluit. Idem docent Ruiz disp. 6. de prædestin. sect. 2. num. 15. & Coninck. disp. 8. de actibus supernat. dubio 7.

§. I.

Conclusio negativa statuitur.

Dico tamen, Christum per actus subsequentes unionem, & à Verbo ut unito humanitati procedentes, neque de condigno, neque de congruo potuisse mereri Incarnationem.

42. Hanc conclusionem probant aliqui hoc discursu. Si opera subsequencia Incarnationem possent de potentia absoluta esse merita condigna illius, sequeretur Christum illam meruisse de facto: Sed hoc non est dicendum, ut patet ex dictis articulo præcedenti: Ergo nec illud. Sequelam Majoris sic probant: Omnis excellentia & dignitas quæ potuit communicari Christo, de facto fuit ei communicata: Sed habere aliquid ex merito, nobilius & præstantius est, quam habere sine merito, ut docet D. Thomas infra quæst. 19. art. 3. & rationem assignat, nam qui habet aliquid per meritum, habet illud quodammodo per seipsum; qui autem sine merito, habet illud per aliud: nobilius autem est habere aliquid per seipsum, quam habere per aliud: Ergo si Christus potuit mereri unionem cum Verbo, per opera illam subsequencia, sequitur quod de facto eam meruerit. Ita Alvarez hic disp. 16.

43. Verum hic discursus non videtur efficax, quia (ut ostendemus infra, cum agemus de merito Christi) potuit Christus de potentia absoluta beatitudinem animæ habitam ab initio conceptionis de condigno mereri, & tamen illam de facto

Tom. IV.

A non meruit, ut ibidem dicemus: Ergo ex non implicantia meriti Incarnationis per opera subsequencia, non recte inferitur, quod illa foret de facto horum meritorum præmium. Hac ergo ratione prætermittā.

B Probatur conclusio ratione fundamentali, Principium meriti non potest cadere sub merito operis procedentis ab ipso: Sed unio hypostatica est principium omnis meriti: Ergo non potest cadere sub merito alicujus operis procedentis à Christo. Minor pater, nam principium operum Christi non est ipsa humanitas, sed suppositum Christi, quod est suppositum Verbi Divini unitum ipsi humanitati. Major verò docetur à Divo Thoma hic art. 11. & quæst. 29. de verit. art. 6. in corp. & passim usurpatur à Theologis, qui ex illo principio inferunt in tractatu de gratia, hominem non posse mereri primam gratiam, quia talis gratia est principium & prima radix totius meriti.

Confirmatur: Meritum pollet vi quadam morali attractivâ præmii: Sed nulla ratione fieri potest ut idem seipsum attrahat: Ergo impossibile est ut idem sit meritum sui ipsius, atque adeo etiam implicat ut idem sit meritum sui principii à quo habet vim merendi, quia quod est causa causæ, est causa causati.

C Huic efficacissimo argumento in primis respondent Adversarii, distinguendo Majorem, illamque concedendo de lege ordinaria Dei, & attentis rerum naturis, & negando de potentia absoluta & extraordinaria. Unde dicunt quod licet Incarnatio non potuerit esse præmium meriti operum procedentium ab ipsa, de lege ordinaria, & attentâ rei naturâ, bene tamen de potentia absoluta & extraordinaria.

D Sed contra primò, Esto causa efficiens moralis meriti, possit aliquo modo cadere sub merito; unde antiqui Patres, ut infra ostendemus, per ipsam gratiam obtentam in vi meritorum Christi, Incarnationem de congruo meruerunt: tamen principium formale meriti non potest, etiam de potentia absoluta, sub merito cujus est formale principium cadere: Sed Verbum ut unitum humanitati est principium formale meriti procedentis ab humanitate, cum à Deitate unita, ut à forma, valorem meritorium recipiat: Ergo Incarnatio nec de potentia absoluta potuit cadere sub merito operum procedentium ab ipsa. Minor est certa, & patet ex dictis supra disp. 4. cum de valore satisfactionis Christi agebamus. Major probatur: Si principium formale meriti possit esse ejusdem meriti præmium, sequeretur tale meritum seipsum ut meritum mereri: Sed hoc repugnat, idem namque à se ipso dependere non potest, nec per consequens meritorie causari, nec remunerari seipso: Ergo & illud. Probatur sequela: Meritum formæ est etiam meritum effectus formalis formæ, sicut causa efficiens formam, efficit etiam ejus effectum formalem: Ergo si opus meritorium, formam à qua desumit valorem, & in ratione meriti formaliter constituitur, mereri potest, etiam poterit mereri seipsum, quatenus est meritum, & seipso remunerari.

E Secundò, Meritum operationum Christi, respectu unionis humanitatis ad Verbum, vel est juxta inclinationem intrinsecam gratiæ unionis, vel supra illius inclinationem: Si primum, tale meritum miraculosum non erit, sed Christo connaturale. Si secundum, implicat quod illam de condigno mereatur: meritum enim de condigno non excedit terminum inclinationis intrinsecæ formæ à

Ooo

qua suum valorem desumit: Ergo vel asserendum est, potuisse connaturaliter Christum de condigno Incarnationem mereri, vel id non potuisse efficere, etiam de potentia absoluta.

49. Tertiò, Si non obstat dependentia essentialis operis à principio intrinseco ut illud possit mereri, Christus per opera ab ipso procedentia, & subsequencia Incarnationem, non solum unionem hypostaticam, sed etiam suam prædestinationem, seu decretum intentivum Incarnationis, promereri potuit: Consequens non admittunt Adversarij: Ergo nec Antecedens admittere debent.

50. Respondent secundò Adversarij, quod licet quando principium meriti datur absolute, non possit cadere sub merito, bene tamen quando non datur absolute, sed sub conditione futuri meriti, & dependenter ab illo: ut si Rex tribuat militi arma & equum, anticipatà solutione, in stipendium futuri laboris & militiæ, eodem equo & armis futurorum. Unde cum Deus potuerit conferre humanitati Christi beneficium unionis hypostaticæ ad Verbum, sub conditione meriti in ea subsistendo exercendi, Christus per opera Incarnationem subsequencia, eam potuit promereri.

51. Verùm quamvis hæc responsio videatur habere aliquam apparentiam, in re tamen nihil habet soliditatis; nam quamvis illud à quo meriti valor non provenit, possit alicui dari intuitu & sub conditione meriti futuri, secus tamen illud à quo est omnis meriti valor. Cujus differentia ratio est, tum quia meritum postea subsequens, potest habere rationem pretij respectu illius à quo non desumit suum valorem, secus tamen respectu illius à quo totum valorem habet. Tum etiam, quia ex eo quod aliquid datur à quo valor meriti non desumitur, sub conditione meriti futuri, non sequitur quod idem sit causa & effectus respectu ejusdem, secundum eandem rationem, & in eodem genere & modo causæ, quod tamen sequeretur, si illud quod est principium totale meriti, daretur intuitu & sub conditione illius ut futuri. Unio autem hypostatica est principium à quo totaliter derivatur meritum Christi & in esse physico & in esse moris; cum omnia opera Christi procedant ab ipso supposito tanquam à principio quod, non verò ab humanitate, & valorem infinitum quem tam in ratione meriti quam satisfactionis habent, à Verbo, ut unito humanitati, tanquam à principio formali desumant.

52. Addo quod, quando aliquid conceditur alteri, sub conditione meriti futuri per illud exercendi, non datur illi simpliciter, sed solum quoad usum, ut eo mediante faciat sibi debitam ejus possessionem, & absolutum dominium: unde principium meriti, formaliter ut tale, non cadit sub merito; quia illud quod ita conceditur, sub una ratione est causa meriti, sub alia verò est præmium & effectus: est enim causa meriti, ut imperfectè, & quoad usum tantum possessum, est verò præmium & effectus illius, quatenus perfectè & simpliciter translatus in dominium merentis. Ex quo sequitur, illud quod non potest alicui imperfectè, & suspensà donatione concedi, sed hoc ipso quod alicui conceditur, datur illi simpliciter, & ab ipso simpliciter habetur, non posse dari sub conditione meriti futuri, sed si conditio illa apponatur, erit impertinens. Principium autem meriti sive in Christo sive in aliis hominibus, cum sit unio hypostatica, & gratia, non potest concedi

A solum quoad usum, & donatione suspensà, quæ nulla sit conditione non stante, sed hoc ipso quod conceditur, simpliciter datur, & simpliciter habetur ab eo cui conceditur, sive postea sequatur operatio meritoria, sive non. Et ob hanc rationem non potest alicui dari esse sub conditione meriti futuri, quia esse nequit dari donatione suspensà & imperfectè, sed si alicui datur, simpliciter datur: unde nullus potest mereri suum esse, & suam creationem.

Ex his etiam patet, instantiam de equo & armis in anticipatam solutionem futuri laboris & militiæ à Rege militi concessis, nullius esse momenti. Primò quia valor hujusmodi laboris & meriti non derivatur ab equo, & armis, sed à virtute, prudentia, & arte militis: valor autem meritorius in operibus Christi, ab unionem hypostaticæ procedit, & in aliis puris hominibus à prima gratia. Unde S. Thomas 1. 2. quæst. 114. art. 5. docet hominem non posse sibi mereri primam gratiam, & sibi tertio loco objicit istud argumentum, quod est præcipuum Adversariorum fundamentum. *Apud homines aliquis potest promereri donum jam acceptum, sicut qui accipit equum à domino, meretur ipsum, bene utendo eo in servitio domini: Ergo multò magis primam gratiam jam susceptam potest homo promereri à Deo per subsequencia opera.* Cui objectioni sic respondet. *Ad tertium dicendum quod omne bonum opus hominis procedit à prima gratia, sicut à principio, non autem procedit à quocunque humano dono; & ideo non est similis ratio de dono gratia, & de dono humano.*

Deinde dona quæ ab homine conceduntur, dari possunt imperfectè, & in usum, aut donatione suspensà, atque sic imperfectè habita, possunt adhuc cadere sub merito, ut perfectè & absolute habeantur: unde in exemplo adducto, equus & arma non concederentur militi à Rege, nisi imperfectè, & quoad usum, si sub conditione futuri laboris ei darentur: per hujusmodi verò laborem miles sibi faceret debitam absolute equi possessionem, absolutumque dominium ipsius acquireret. Unio autem hypostatica, non potest concedi solum quoad usum, & donatione suspensà; sed eo ipso quod datur, simpliciter & absolute conceditur; & sic Deus non potuit humanitati Christi beneficium unionis hypostaticæ ad Verbum conferre, sub conditione meriti in ea subsistendo exercendi.

Secundò probatur conclusio ratione quam innuat S. Thomas quæst. 29. de verit. art. 6. ubi sic discurrit: *Meritum est causa præmij, non quidem per modum finalis causæ, sic enim magis præmium est causa meriti, sed magis secundum reductionem ad causam efficientem, in quantum meritum facit præmio dignum, & sic ad præmium disponit. Id autem quod est causa per modum efficientis, nullo modo potest esse posterius tempore eo cuius est causa, unde non potest esse quod aliquid mereatur quod jam habet.* Quod autem in humanis aliquis pro accepto beneficio domino suo serviat, magis habet rationem gratiarum actionis, quam meriti. Quibus verbis S. Doctor, & exemplo à Suare adducto respondet, & hanc rationem ad probandam nostram conclusionem innuat. Meritum scilicet habet ad præmium, sicut medium ad finem, via ad terminum, dispositio ad formam, & causa efficiens ad effectum: Sed implicat medium subsequi finem, & viam esse posteriorem termino, dispositionem formam, & causam efficientem effectui: Ergo impos-

fibile est meritum esse posterius termino, & per consequens Christum per opera subsequencia Incarnationem, eam de condigno vel de congruo promereri.

55. Tertiò suaderi potest conclusio, convellendo præcipuum Suaris fundamentum, initio articuli propositum. Merita Christi ut futura non potuerunt movere Deum ab æterno, nec de condigno, nec de congruo, ad decernendam executionem suæ Incarnationis: Ergo executionem illam mereri non potuit Christus de condigno nec de congruo. Consequentia patet, meritum enim executionis Incarnationis est illud duntaxat quod moraliter movet Deum, vel de condigno, vel de congruo, ad executionem decreti suæ Incarnationis. Antecedens verò probatur: Merita Christi ut futura, nullo modo præcedere potuerunt in scientia Dei decretum quod habuit exequendi suam Incarnationem: Ergo nec movere Deum ad habendum tale decretum. Consequentia est manifesta, nihil enim ut futurum movere potest divinam voluntatem ad habendum aliquod decretum, nisi ut futurum præcedat decretum illud, saltem in scientia Dei. Unde Thomistæ in Tractatu de prædestinatione docent, & Suarez ac Ruisius consentiunt, merita non movere Deum ad prædestinandos homines; quia cum sint effectus prædestinationis, non præcedunt ut futura in scientia Dei, sed eorum futuritio posterior est prædestinatione, seu decreto quo homines eliguntur ad gloriam, juxta illud D. Prosperi 2. de vocat. Gentium cap. 35. *Deus his quos eligit sine meritis, dat unde ornantur ex meritis.* Antecedens verò probatur & explicatur: Cum merita Christi non possint intelligi ut futura, nisi eo ipso intelligatur Christus ipse futurus in tempore: Christus autem futurus in tempore concipi nequeat, non præsupposito decreto divino exequendi Incarnationem, manifestum est implicare omnino, quod merita Christi tale decretum in cognitione seu præscientia Dei præcesserint.

56. Dices, Christus & ejus merita cognosci potuerunt à Deo ut futura, præsupposita duntaxat intentione quam habuit sese incarnandi, abstrahendo à decreto illam intentionem exequendi: Ergo sic cognita & prævisa, movere potuerunt Deum ad volendum executionem Incarnationis.

Sed contra: Merita Christi non sunt futura, saltem infallibiliter, nisi ex vi intentionis efficacia illorum: Sed intentio non est efficax, si præscindat à voluntate executionis: Ergo falsum omnino est, quod Deus prævidere potuerit merita Christi ut futura, in intentione quam habuit sese incarnandi, abstrahente à decreto illam exequendi.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Iccèt præcipua Adversariorum fundamenta soluta maneant ex dictis paragrapho præcedenti, exponendo rationes nostræ conclusionis, ut tamen eorum debilitas magis appareat, ea breviter proponemus ac diluamus.

57. Obijciat ergo primò: Principium meriti potest de potentia absoluta cadere sub merito operis procedentis ab ipso: Ergo potuit Christus per opera subsequencia Incarnationem, ipsam mereri. Consequentia patet ex supra dictis: Antecedens verò probatur primò, quia principium effe-

Tom. IV.

Activum actus potest ab ipso dispositivè causari, & de facto sic contingere in gratia habituali respectu actus contritionis, docuimus in Tractatu de justificatione, disputatione 1. art. 8. Ergo pariter principium meriti poterit ab illo meritorie causari. Secundò antiqui Patres meruerunt de congruo Incarnationem Verbi, ut dicemus articulo sequenti, & tamen illorum gratia fuit effectus meritorum Christi, nedum in genere causæ finalis, verum etiam in genere causæ efficientis moralis, ut tenet communior Theologorum sententia: Ergo principium meriti potest cadere sub merito, saltem de congruo.

B Respondeo distinguendo Antecedens: Principium meriti purè effectivum, potest de potentia absoluta cadere sub merito operis procedentis ab ipso, transeat Antecedens. Principium meriti effectivum & formale, nego Antecedens, & Consequentiam. Nam gratia unionis non solum est principium effectivum meritorum Christi, sed etiam principium formale, non in esse physico, sed in genere moris; cum operationes Christi Theandricæ, à persona Verbi Divini, ut à forma, valorem infinitum in esse moris recipiant. Ex quo patet solutio ad utramque probationem Antecedentis, seu disparitas ad duo exempla ibidem adducta; nam actus contritionis non constituitur formaliter in ratione dispositionis ad gratiam, per ipsam gratiam, sed per propriam entitatem à gratia efficienter causatam; nec merita antiquorum Patrum, per Incarnationem Verbi constituta fuere formaliter, sed tantum ab illa efficienter moraliter, seu meritorie causata. Addo quod Christi merita præintelliguntur futura ante decretum conferendi gratiam antiquis Patribus, cum Christus sit causa meritoria prædestinationis hominum: at non præintelliguntur futura ante decretum exequendi Incarnationem, ut supra contra Suarem ostendimus: unde licet Christus gratiam antiquis Patribus meruerit, suam tamen Incarnationem mereri non potuit.

D Obijciat secundò: Christus mereri potuit executionem unionis hypostaticæ, si ejus merita ut futura prævideri potuerunt à Deo prius prioritate naturæ, quam vellet exequi intentionem quam habebat sese incarnandi: Sed potuerunt merita Christi ut futura ita prævideri à Deo: Ergo & Christus mereri potuit executionem suæ Incarnationis. Major est certa, si enim merita Christi ut futura, prius à Deo videri potuerint, quam vellet intentionem sese incarnandi exequi, movere potuerunt ipsum ad volendum executionem Incarnationis. Minor verò probatur. Intentio quam habuit Deus sese incarnandi, est prior decreto illam exequendi: Sed in illa intentione Incarnationis, ut ita priori decreto executionis ejus, potuerunt merita Christi prævideri ut futura: Ergo prius prioritate naturæ quam vellet Deus exequi intentionem suæ Incarnationis, potuerunt merita Christi à Deo prævideri ut futura.

E Confirmatur: Licet prædestinatio hominum, in communi doctrina Thomistarum, fiat ante prævisa merita, prævisio tamen meritorum præcedit in mente divina decretum executionis talis prædestinationis, ut in Tractatu de prædestinatione docuimus: Ergo similiter, licet prædestinatio Christi, sive intentio Incarnationis, sit prior in intellectu Dei prævisione meritorum Christi, prius tamen merita illa prævideri potuerunt à Deo, quam decerneret exequi intentionem suam Incarnationis.

Qoo ij

58.

59.

60.

Disp. 2.
art. 1.
§. 2.
corol. 4.